

nenfium, & Placentinorum, qui hac de causa illuc accesserant, ut ipsi cognito quid ab utraque parte prætenderetur, iudicio litem terminarent. In quod compromissum Astenfes, & Vercellenfes comprehenfi fuerunt, qui omnibus perpensis in eam inierunt sententiam, ut Marchiones Gullielmus, & ejus filius darent in Mediolanenfium, & Placentinorum potestatem castrum s. Salvatoris, de Luco, & de Vignate, ut ista effent tamquam obfides, seu pignora, quæ amitterentur, nisi Marchiones iudicio paruiffent. Legati pro republica Mediolanensi fuerunt Subghel ecimus Mainerus, Offredus Grosellus, pro Placentinis Antonius Fontana, & Johannes Bonamena, & infuper jufferunt, ut præfati Marchiones inconcuffum foedus intra octavam Refurrectionis cum Alexandrinis inire deberent. Pro Alexandrinis interfuere Ardizonus Gambarutus, & Ugocionus Puteus. Eodem anno die duodecimo mensis junii in executionem ejus, quod legati Mediolanenfium, & Placentinorum jufferant, initum fuit foedus inter rempublicam Astenfem, Vercellenfem, & Alexandrinam cum Gullielmo Patre, & filio Marchionibus Montisferrati, & pro republica Alexandrina interfuerunt Gullielmus Lanzavecchia, & Guido Priora (1). Eodem anno Delphinus Marchio Boschi donationem fecit Alexandrinis die 11. julii oppidi Montisclari.

(1) Vide illud par. 1. n. 101. col. 116., & n. 104. col. 122.

MCC. Die sexto februarii ex pacto inter rempublicam Alexandrinorum, & universitatem Quadringenti inito constat olim hoc oppidum fuisse pro dimidietate juris Episcopi Astenfis; illo namque pacto colligitur Alexandrinam rempublicam debuiffe Vassallos Episcopi Astenfis, qui erant in oppido Quadringenti a majori vi defendere, inibi separatam mentionem facit virorum quadraginta familiarum, qui quadringentum contruxerunt (1).

(1) Retuli par. 1. n. 105 col. 124.

MCCII. Die octavo mensis martii, cum multæ interceffiffent similtates inter rempublicam Alexandrinam, Othonem Carretum, Vermum Cevenfem, & Anricium Ponzonensem Marchiones, tandem arbitris intercedentibus foedus percuffum inter ipsos fuit in Ecclesia s. Mariæ de Alice, ut si quando quis arma in rempublicam Alexandrinam intuliffet, Marchiones adversus ipsum arma capefferent, ac vim propullarent, præcipue adversus Aqueses; receperuntque (1) Marchiones prædicti se omni ope enixuros, uti Episcopatus Alexandrinis redderetur. Alexandrinique civem creaverunt Othonem Carretum, qui hac de causa libras quadraginta perfolvit Alexandrinis, ut ex illis muros civitatis conficerent, & arbitrio suo uterentur, & præterea, ne Alexandrini in posterum castellum aliquod ædificari permitterent a loco Bestagni supra, & a loco s. Stephani supra. Infuper Marchio Otho Carretus nomine suo, ac confociorum suorum Imperatoris fide semper salva, fidelitatem juravit populo Alexandrino. In hoc foedere conficiendo aderant ex Alexandrinis Obertus Natta, Ruffinus Scacavellus, Obertus Fantinus, Vermus Lanzavecchia, Joannes Pellatus, Ruffinus Griffus, Joannes Grattonus, Al-

bertus Balbus, Prætor existente Opizzone Cffa. Eodem anno memoratum foedus comprobatum fuit in maximo civitatis confilio a Vermo Cevenfi, & Cagnono filio Marchionis Othonis Carretti, pridie idus augusti per Pontium Marchionem Ponzoni ibidem adprobatum (2). Eodem anno quinto idus januarii homines Montaldi sponte se Alexandrinis subjecerunt, ac in eorum potestatem dederunt homines Valtignanæ, & Molonens, pro quibus ipsi Montaldenses intercefferunt. (1) Promiserunt.

(2) Extant hujusce foederis tabulæ par. 1. n. 109. col. 126. uti & fequentem deditionem Montaldi num. 108. col. 125.

MCCIII. Tertio idus augusti (1) cum adhuc lites, & bella inter Alexandrinos, & Marchiones Bonifacium patrem, & Gullielmum filium perseverarent, Alexandrini, ut lites præscinderent, & semina bellorum restinguerent, receperunt renuntiationem omnium regalium, & jurium a dictis Marchionibus prætenforum una cum medietate Sexadii, Ritorti, Castri novi, utriusque Carpaneti, Canobii, & Carmolini, & omnium aliorum jurium, quæ aliter prætere possent Marchiones, & præsertim in octo locis, ex quibus Alexandria originem traxerat, Legatis ad id destinatis Guidone Plovera, & Gfulpho Acerbo etiam civitatis consulibus, pro quibus oppidis infeudatis Alexandri i juramentum clientelare præstiterunt præfatis Marchionibus in oppido Pelegratæ (2). Infuper quod Alexandrini non teneantur bellum gerere contra Imperatorem, Mediolanum, Derthonam, & oppidum Cassinarum, & solum Marchionibus supradictis adjuvare in his, quæ ad defensionem eorum pertinerent. Eodem anno nonis septembris (3) cum Albenfes maximis difficultatibus premerentur, omni conatu contendunt, ut Alexandrini secum foedus inirent, quod obtinuerunt Rubaldo Cerato, consule Albenfi ad id existente; Consulibus autem Alexandrinis Balduino de Turre, Anselmo Sanbuelio, Conrado Occimiano, Guidone Polvera, Ruffino Bellono, Gullielmo Pellato, Jacobi Thebaldano, Roberto Rondano, Pagano Puteo, & Ruffino Curnilia, cum ante eos consules fuiffent eodem anno Obertus Natta, Mutius Sabuellus, Johannes Grattonus, Manfredus Guascus, & Obertus de Foro.

Eodem anno 15. calendas octobris (4) Gullielmus Montisferrati Marchio investivit Ruffinum Curnilia Consulem Alexandriæ, & Ugonem Urtica Legatum pro medietate Castri Retorti, cum decimo septimo calendis prædicti mensis investituram accepiffent de utroque Carpaneto superiori, & inferiori, ac infuper villæ, & castri Casti novis, & medietatis Castri novi, ac castri, & oppidi Sexadii, in executionem pactonis, & confederationis initæ eodem anno tertio idus augusti (5). Eodem anno homines Aquesanæ in potestatem venerunt reipublicæ Alexandrinæ, Ruffino Bellono consule, idemque fecerunt quarto idus februarii homines villæ Vignati, ac mox homines de Calocio.

(1) Extat par. 1. n. 119. col. 135.

(2) Valle granæ.